
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659602-p0001-1

IO. BERN. KOEHLERI,
PHILOS. ET I. V. D. ET LL. OO. IN ACADEM. REGIOMONT.
PROF. ORDIN.

PRAETERMISSA
AD
CONSTITVTIONEM
ΔΕΔΩΚΕΝ.

ACCESSIT
INDEX LECTIONVM
PER HIEMEM MDCCLXXXI
HABENDARVM.

REGIOMONTI
APVD GOTTL. LEBR. HARTVNGIVM
MDCCLXXXI.

PRAETERMISSA

AD CONSTITVTIONEM ΔΕΔΩΚΕΝ.

Tribus illis Latinis Constitutionibus, quas in vestibulo adituque Iustitiae a se excitati templi posuit Iustinianus, itemque Indici ICtorum iisdem contiguo vtilissimam nauasse constat operam Laur. Theod. Gronovium in libello, quem *Pandectarum Emendationes* inscripsit, multaque ab Editoribus ipsis inuecta menda sustulisse antiquissimi libri Florentini, quem per tres quatuorue menses calide a se in veteri Magni Ducis palatio tractatum fuisse scribit, fide: sed immatura morte praeuentus Vir doctissimus vastius, quod in Pandectarum libros Taurellianos meditabatur opus, perficere atque edere non potuit, et Graecam ipse Epistolam, quae eiusdem est sententiae, cuius Latina, quam ante Pandectas cum Haloandro tertiam scripsit Taurellius, et eodem tempore edita, et quae merito inter corruptissima Iuris nostri loca censetur, prorsus intactam praeteriit, certe medicinam ei nullam fecit: quamque nuper in

eadem Lege illustranda posuit operam eruditissimus ceteroqui et laboriosissimus, sed Graece, si verum amamus, indoctior Brencmannus, vereor, ne sit in plerisque plane superuacanea. Eam igitur Iustiniani Constitutionem, multis adhuc locis mendose scriptam, liberare a corruptelis hisce et vitiis, quantum maxime nunc ingenii solius auxilio fretus possem, et obscuriora ac perperam ab Interpretibus exposita pro sensu meo rectius explicare hoc in libello constitui. Atque mereri mihi sane visa est hanc operam Epistola haec Iustiniani Graeca, quia vtilis est ad obseruandam historiam Iuris, quod a Iustiniano compositum habemus, et ad cognoscendum discrimen veteris ac noui Iuris: et potuit subinde eadem opera Lex Latina, cuius Graecam esse metaphrasin diximus, emendari. Tu vero, candide Lector, qui amas haec humanitatis et veteris ac Iustinianei Iuris studia, e re ipsa arbitraberis,

Opera nobis inanis haec, an in vsum impensa sit.

In principio Epistolae praedicat Imperator Vandalica tropaea et omnem Africam Romano imperio virtute sua adiunctam, τὸ κατὰ Βανδίλων τροπαῖον, καὶ τὴν ὅλην Λιβύης κτῆσιν. Ita quidem scripta exhibent verba haec Ant. Augustinus, qui primus in *Collectione Graecarum Constitutionum Codicis*, Nouellis Iuliani adiecta, hanc Iustiniani Epistolam e membrana Tusca edidit, eumque secutus Taurellius; neque haesit hoc in loco Brencmannus, qui *et totam Africae acquisitionem* vertit. Sed bene iam Io. Guil. Hofmannus *Meletem. ad Pand. Diss. I. §. 7.* καὶ τῆς ὅλης legendum vidit: quin et rectius ac linguae legibus conuenientius scribetur cum vtroque articulo, καὶ τὴν τῆς ὅλης Λιβύης κτῆσιν, *et totius Africae ac-*

acquisitionem, vt et mox editur, τὴν τῆς ὀνομαζομάτης Καρχηδῶνος ἐπανάληψιν.

Ὅπερ οὐδεὶς τῶν πρὸ ἡμῶν βεβασιλευκότων ἐπεὶ οὐδὲ εἰς νοῦν βαλλεσθαι ἤλπισεν ἄν, ὅτε δυνατὸν ὅλως τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει ἀνὸ ἂν ἐνομίσθη] Contio superfluere videbatur verbum ἐπεὶ, et omisit illud in versione sua Brencmannus. Hotomanus quoque sine isto ἐπεὶ vertit, *vt ab his, qui ante nos imperarunt, latarum legum instaurationem ad eum finem perduceremus, ad quem perduci, aut vllo modo perfici posse, ne cogitare quidem vllus, nedum sperare potuisset.* Ego pro ἐπεὶ, vel ἐπ', vti liber Augustini habet nulla omnino sententia, scribendum censeo ἔτι, et vertendum, *quod nemo Principum, qui ante nos regnarunt, sperare vmquam ausus est, aut omnino fieri posse ab humano ingenio existimatum est.* Et firmat plane coniecturam meam Constitutio Tanta, cuius haec sunt verba: *Tanta circa nos diuinae humanitatis est prouidentia, vt semper aeternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. Post bella enim Parthica aeterna pace sopita, postque Vandalicam gentem ereptam,* (i. e. praelio deuictam) *et Carthaginem, immo magis omnem Libyam Romano Imperio iterum sociatam: et leges antiquas iam senio praegrauatas per nostram vigilantiam praebuit in nouam pulchritudinem, et moderatum peruenire compendium: quod nemo ante nostrum imperium vmquam sperauit, neque humano ingenio possibile esse penitus existimauit.*

[Ἦν γὰρ θαυμαστὸν, τὴν Ῥωμαίων] νομοθεσίαν [ἀπὸ] τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης [κτίσματος] μέχρι

τῶν [τῆς ἡμετέρας βασιλείας χρόν] ων, ὅιπερ ἀμφὶ τὰ χίλια [καὶ τριακόσια ἔτη συντρέχουσιν,] οὐκ ἐν τοῖς ἄλλοις μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς βασιλικαῖς διατάξεσι πρὸς ἅπασαν αἴειν συμφωνίαν τε καὶ διαφωνίαν, καὶ τὸ μὲν μαχόμενον αὐτῆς ἐξελεῖν, τὸ δὲ ταυτόν τε καὶ ὅμοιον ἐξωθῆσαι, μίαν δὲ αὐτῇ κάλλους εἰδέαν παρασχεῖν, ὥςε ἕνα τὸν κείμενον ἐφ' ἑκάςῳ καθεςάναι πράγματι νόμον, τῆς ἄνωθεν ῥοπῆς, καὶ τῆς ἐκεῖθεν φιλανθρωπείας ἴδιον ἦν, ἀλλ' οὐκ ἀνθρωπίνης τινὸς διανοίας, ἢ ἐγχειρήσεως, ἢ δυνάμεως ὅλως] Quae vncis circumscripsimus, idque rectius, quam exhibentur in mendosissima Editione Goettingensi *), ea incogitanter satis Brencmannus hic a Contio e *Lege* Δέδωκεν *C. de Vet. iur. enucl.* inserta scribit: ex vno enim Codice Florentino editam habemus hanc Constitutionem Graecam: quam qui primus, vt diximus, e Tusca membrana edidit Ant. Augustinus, pauca tantum verba eruere hic potuit ex obsoletis et exesis libri literis, et pauciora etiam dedit Taurellius: at Contius demum verbis e Constitutione Tanta graece redditis lacunas libri Florentini, sed nescio quam dextre, expleuit, cum parum apte inter se nexa et iugata sit oratio: et ego potius Τὴν γὰρ Ῥωμαίων νομοθεσίαν scripsisse crediderim Iustinianum, omissis verbis illis, ἦν γὰρ θαυμαςὸν. Sed quantam insumpserit operam eruendae huic primae Constitutionis Graecae parti Ant. ille Augustinus, et qualis fuerit ab eo reperta in Codice Mediceo, eum et hodie totum prius membranae folium desiderari testetur Brencmannus, haud ab re esse visum est, vt ipsius Augustini verbis e *Lib. III.* *Emen-*

*) Quae quam vere dicatur τοῦ μακ. Gebaueri esse, docui nuper in *Bibliotheca German. commun. Append. III. Vol. III. p. 1890. sqq.*

Emend. Cap. 3. adſcriberemus. *Sciendum eſt*, inquit, *primam partem Graecae Conſtitutionis ita contritam eſſe, vt non multa verba legi poſſint. Ad quam legendam cum et ſolis ſplendorem, et maximam aliis modis diligentiam crebrius ego et Io. Metellus meus adhibuiſſemus, bonam eius partem deſcripſimus. Attuleramus nobiscum exemplum quoddam eius Conſtitutionis ex noſtri doctoris* (Alciatum intelligit) *exemplo exſcriptum: ſed id nos ea parte nihil iuuit: neque etiam aliud Politiani, ex quo Alciatinum ſumptum fuit, excepta illa priori parte: quam exiſtimamus aut Politiani tempore, aut noſtro effictam eſſe: ea enim pars in Politiani libro non eſt, ſed eius exemplum haec prima verba habet poſt Iuſtiniani cognomina, quae miniata legi facile poſſunt,* ἅπερ ἄμφω παρακολουθήματα, *et cetera: quae his Latinis reſpondent, quia haec omnia titulis emptionum et venditionum conſentanea ſunt. In his tamen exeſis et obſoletis literis, quas diximus, haec verba agnita ſunt:* Τριβωνιανῷ τῷ ἐνδοξοτάτῳ μαγίστρῳ, καὶ ἀπὸ κυαιστόρων, τῶν θείων ἡμῶν παλατίων καὶ ὑπάτων πρὸς τὴν ὅλην ὑπηρεσίαν χρησάμενοι. *Quae verba ad Iuſtiniani aetatem propius accedunt, ſi ad nouellas Conſtitutiones, et Theophili Inſtitutiones reſpexeris.* Haec ille. In verbis autem Graecae Epiſtolae, πρὸς ἅπασαν ἁλίειν συμφωνίαν τε καὶ διαφωνίαν, macula eſt manifeſta, et fruſtra, ſi quid video, vt vel explicarent ea, vel emendarent, laborarunt Interpretes. Et Contius quidem locum latine ſic vertit: *Erat enim mirabile, omnem Romanam ſanctionem — non ſolum ſecum in variis ſuis partibus, ſed in imperialibus quoque ſanctionibus inter omnem nutare conſonantiam pariter ac diſcordiam.* Sed Brencmannus,

recte quidem quod ad Contii interpretationem, *Ex τῷ ἀΐειν*, ait, *Contius in versione sua* nutare *fecit, quod nihili est, ac si nimirum fuisset* νεύειν: *et hoc tamen proprie* nuere, vergere, inclinare, *denotat. Hotomanus autem*, pergit idem Brencmannus, *quia non intelligebat, omisit, asteriscis tamen et spatio substitutis, atque adeo, cum in praecedentibus lacunas suppleuerit, hic contra nouam vltro fecit.* Ita quidem ille de Hotomano: verum in ea, quam mihi videre contigit, huius Viri interpretatione, in Corpore Iuris Gloſſato, quod cura Dion. Gothofredi Lugduni 1604 ſex voluminibus maioris formae prodiit, ante Pandectas Legi Graecae adſcripta, ſic legitur, *non in aliis modo, ſed in Imperialibus quoque Conſtitutionibus in omnem ſpirare concordiam, et diſcordiam*; ac ſi πνέειν pro ἀΐειν ſcriptum eſſet, et nullo ſane idoneo ſenſu: ſed Gothofredus forte lacunam Hotomani explevit, aut certe aſteriſcos, mendoſi loci indices, expunxit. *Eſt autem*, dicit porro Brencmannus, *ἀΐειν verbum poëticum et Atticum, quod* audire, ſentire, *notat. At reuera phraſis inſolens eſt cum illo πρὸς. Niſi forte ἀεὶ vel ἀιὲν, id eſt* ſemper, *reponendum videatur, vt verbum potius in praecedenti lacuna deliteſcat.* Vertit igitur ipſe verba Iuſtiniani hoc modo: *Erat enim mirabile, omnem Romanam ſanctionem a condita veteri Roma uſque ad noſtri Imperii tempora, quae paene in mille et trecentos annos concurrunt, non in aliis modo, ſed in Imperialibus quoque Conſtitutionibus omnem conſonantiam et diſſonantiam ſentire, pugnantia tollere: eadem atque ſimilia ſubmouere, vnam autem ipſi legislationi pulchritudinis ſpeciem praebere, vt vna lata in ſingulis rebus lex exiſteret.* At perperam ſane, nec meliore, quam Contius,

immo

immo nullo plane sensu: extrema enim cum primis non cohaerent: neque huius loci est verbum Homericum ἀΐειν, quod et proprie *audire* notat, (v. gr. *Il. K*, 189. ὁππότ' ἐπὶ Τρώων ἀΐοιεν ἰόντων, et apud Euripidem *Iphig. Aul.* 294. ὡς ἄϊον, *vt audiui*) et cum Genitiuo iungi solet. Denique quis probet, vt verbo tantum memorem, vanam prorsus Christfr. Waechtleri correctionem, *Opuscul.* a Cl. Trotzio iunctim edit. *p.* 538. ἀϊνεῖν reponentis pro ἀΐειν, idque dictum esse scribentis pro κινεῖν, *moliri*, *commouere*, *erigere*, *aggredi*? Ego, nisi quid interciderit a nobis iam non reparandum, aut delenda dico haec, τε καὶ διαφωνίαν, nata forte ex antecedentibus; aut, quod malim, legendum, καὶ τὴν διαφωνίαν καὶ τὸ μαχόμενον αὐτῆς, puta νομοθεσίας, ἐξελεῖν, et pro ἀΐειν substituendum ἄγειν: quod et sane vereor, ne in ipso Codice Florentino recte ac more veteri, quem et in antiquioribus quibusdam libris editis cernere est, scriptum ἄϊειν praue Editores acceperint pro ἀΐειν. Fuisse enim olim illud ἄγειν hoc loco in Graeca Epistola, testari potest Latina Constitutio, cuius haec sunt verba: *Erat enim mirabile, Romanam sanctionem ab Vrbe condita vsque ad nostri Imperii tempora, quae paene in mille et quadringentos annos concurrunt, intestinis procliis vacillantem, hocque et in Imperiales Constitutiones extendentem, in vnam reducere consonantiam: vt nihil neque contrarium, neque idem, neque simile in ea inueniatur, et ne geminae leges pro rebus singulis positae vsquam appareant: namque hoc caelestis quidem prouidentiae peculiare fuit: humanae vero imbecillitati nullo modo possibile.* Graecae igitur Epistolae locus, si facili mutatione ex Latina corrupta lectio corri-

gatur, sic erit interpretandus: *Omnem enim Romanam sanctionem a condita veteri Roma vsque ad nostri Imperii tempora, quae paene in mille et quadringentos annos* (τετρακόσια credo dedisse Imperatorem, et in ipsum confero culpam perperam positae anni notae: neque enim audiendus videtur Contius, qui τριακόσια posuit, quod errorem hic subesse putabat in Latina Constitutione, cum Codices consentiant: quamuis verum sit, Iustinianum solum regnare coepisse anno V. C. M CC LXXX) *concurrunt, non in aliis solum partibus, sed in Imperialibus quoque Constitutionibus ad omnem reducere consonantiam, et dissonantiam ac pugnantia tollere, eadem vero aut similia quacuis detrahere, et vnam ipsi pulchritudinis speciem praebere, vt pro rebus singulis vna tantum lex constituta existeret, caelestis quidem hoc auxilii* (recte sic ῥοπῆς secundum Leeuwenium Goettingensis liber, sed in Taurelliano est ῥωπῆς, operarum forte errore: nec probamus, quod Christfr. Waechtlero placebat in *Opusc. p.* 530. ῥώμης) *ac benignitatis erga homines peculiare fuit, non vero humanae cuiusdam cogitationis, aut incepti, aut facultatis omnino.*

Ἐρωτῶντες μὲν ἀεὶ τὸ γιγνόμενον, τὸ δὲ ἀμφισβητήσιμον μανθάνοντες] Praestat, vt opinor, tametsi nihil magnopere interest, vtro modo legatur, Augustini γενόμενον. Brencmannus, vtrumque rectum iudicans, quia τὸ γιγνόμενον vel γενόμενον quid esset, non intelligebat, verba pessime sic vertit, *interrogantes semper quod erat, controuersum autem discentes.* Et in nota apposita, Τὸ γιγνόμενον, inquit, *quod erat, id est, verum, factum ipsum, appositae ad ambiguum et con-*

controuersum, *quod sequitur*. Sensus namque verborum est, *inuestigantes semper ac perscrutantes ea*, *quae fiebant*, vel *componebantur*, a Triboniano nimirum et collegis, *et deprehendentes*, *quicquid dubium controuersumque erat*. Quomodo et in Latina Epistola Imperator, *Nostra quoque maiestas*, inquit, *semper inuestigando et perscrutando ea*, *quae ab his componebantur*, *quicquid dubium et incertum inueniebatur*, *hoc numine caelesti erecta emendabat*, *et in competentem formam redigebat*. Ac video iam Contium in eandem sententiam vertisse, *inquirentes semper ea*, *quae ab eis componebantur*, *et id quod dubium erat*, *perscrutantes*. Nec male, si rem spectes, Hotomanus dederat, *a quibus res singulas ita vt opus procedebat sciscitati*: quae verba, vt et Contiana, in nota adscripsit ipse Brencmannus, qui ceteroquin recte Hotomanum ait, floridiore elegantioreque stilo interpretatum Graecam Constitutionem, pressius vero Contium; sed et Hotomanum imprimis a recto et a mente Imperatoris crebro aberrasse, in notis docet, et potuisset certe multo saepius. Mihi quidem, quamuis fere nimis presse et ad verbum pleraque Contius verterit, nec vbique mentem Imperatoris sit assecutus, praestare tamen eius interpretatio multum videtur, et perspicuitate et veritate, Hotomani et Brencmanni versionibus. Post pauca quod scribit Imperator, ἐκ τῆς ἐνδιδομένης ἡμῖν παρὰ τοῦ δεσπότου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώσεώς τε καὶ θάλψεως, hoc ita arbitror verti debere, *secundum concessam nobis a Domino Deo et Seruatore nostro Iesu Christo cognitionem atque animi vigorem*. Contius quidem hic non omnino male θάλψεως loco *intellectus vigorem* scripserat:

rat: at Hotomanus plane ſuppreſſit idem vocabulum, et peſſime denique Brencmannus verba ita reddidit, *e conceſſa nobis a Domino Deo et Seruatore noſtro Ieſu Chriſto cognitione ac ſpe*, vocem θάλψις pro ſpe ac fiducia accepiſſe ſe ſcribens, quod ſpes animum foueat ac refocillet. Eam enim interpretationem nec ſententia Imperatoris, nec linguae ingenium admittit: neque enim vsquam Graecis illud vocabulum *ſpem* notat.

§. 1. Τὰς μὲν ἐν εὐσεβεῖς διατάξεις ἤδη πρότερον δώδεκα βιβλίοις περιειλαντες, τὸ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας ἐπώνυμον συντεθείκαμεν βιβλίον· νῦν δὲ, τὰς ἁπάντων τῶν ἔμπροσθεν νομοτεθησάντων συναγαγόντες γνώμας ἐκ τῶ πλήθους ἀπὸ τῶν βιβλίων, ἅπερ ἦν μὲν ἀμφὶ τὰ δισχίλια, ἀριθμὸν δὲ εἶχον σίχων μυριάδων τριακοσίων ἐπὶ ἔμμετρόν τε ἅμα καὶ εὐσύνοπτον συνηγάγομεν ἄθροισμα.] In margine προτέρας notat Pacius, et probat, vti videtur, nota nominis ſui *P.* appoſita: ſed nihil opus erat medicina ſermoni ſano: multaque alia ab eo adſcripta, quae ſumpſiſſe eum puto pleraque e vetuſtiori quodam Edito, cum nullius plane ſint pretii, et corrumpat fere locum, quem corrigere ſe putat, lubens praetereo. Recte vero, iudice Hofmanno l. c. Editio Pariſiis apud Claud. Cheuallonii viduam anno 1502 octonis curata ἐκ τῆ πλήθος ἀπεράντων βιβλίων legit; idque placebat etiam in ora Editionis ſuae Pacio. Sed mihi et haec coniectura Editoris illius Pariſini inanis eſſe videtur: nec diſplicebit, opinor, vulgatum, modo ita diſtinxeris, ἐκ τῆ πλήθος, ἀπὸ τῶν βιβλίων. Locum autem integrum ego ſic vertam: *Et principales quidem Conſtitutiones iam ante duo-*

decim

decim libris digerendo, Codicem noſtrae pietatis cognomine fulgentem compoſuimus. Nunc vero omnium veterum Iuris conditorum colligentes ſententias e multitudine, librorum quippe duobus circiter millibus, et qui verſuum habebant tricies centena millia, in modicum ſimul ac luculentum redegimus compendium. Verti εὐσύνοπτον, *luculentum:* quo loco Brencmannus habet, *ad modulatam ſimul et facile conſpiciendam coëgimus collectionem,* Gebauerus vero melius, *in ſuae menſurae, ſimul in concinnum coaceruauimus compendium,* et germanice, *eine maeſſige und daher leicht zu ueberſehende Sammlung,* vertit. Suidas: Εὐσύνοπτον· ἐυεπίγνωστον, ἐυθεώρητον. Et Heſychius: Εὐσύνοπτον· φανερὸν, εὐθεώρητον, σαφὲς. Ariſtoteles vero *Rhetor. Lib. III. Cap.* 9. periodum ſic definit: Λέγω περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τέλος, αὐτὴν καθ' αὑτὴν, καὶ μέγεθος ἐυσύνοπτον. Et Euſtathius denique *Praefat. ad Comm. in Dionyſ. Perieg. p.* 3. εἰς ἐγχειρίδιον τοῖς βουλομένοις ἐυσύνοπτον. In Conſtitutione autem Tanta eſt, *tam colligere, quam certo moderamini tradere:* ſic enim legi omnino malim cum Vulgatis et Norica, quam cum Taurellio *moderamine:* et paulo poſt etiam, vt et hoc obiter annotem, melius videtur, quod Vulgatae praeferunt, *trecies* vel *tricies centena milia verſuum,* quam quod Florentiae eſt, *trecentiens decem milia verſuum;* vbi apud Haloandrum, cuius varietatem ſolum annotauit Gebauerus, mendoſe omnino, *tricies centena verſuum.* De more veterum metiendae librorum magnitudinis per verſuum, id eſt, linearum, vti vulgo appellant, numerum, non ſententiarum et periodorum, vti cum Accurſio Egu. Baro *Comm. ad τὰ πρῶτα p.* 10. Franc. Duarenus *Lib. II.*

II. Disp. anniuers. Cap. 6. aliique voluere, vide Contium *Lection. succisiuar. Lib. I. Cap.* 8. Aeg. Menagium *in Diog. Laert. Lib. IV. Segm.* 24. Bern. de Montfaucon *Palaeogr. Gr. Lib. I. Cap.* 4. Quod autem mox hic Iustinianus ait, se ad naturam et artem, siue aptam quandam conuenientiam numerorum, respexisse in septem partes totum Digestorum opus diuidendo, id ex veterum superstitione ortum videtur, qui credebant variam religionem ac vim inesse numero septenario: de quo est apud Gellium *Noct. Attic. Lib. III. Cap.* 10. et Macrobium *in Somn. Scip. Lib. I. Cap.* 6. Nec dissimile est, quod Imperator noster scribit *Nou. CV. Cap.* 1. de septem processibus Consulum.

Ὅπερ βιβλίον DIGESTA, εἴτε πανδέκτην προσηγορεύσαμεν, ἔκ τε τῶ τῶν νόμων ἔχειν διαιρέσεις τε καὶ διατυπώσεις, ἔκ τε τῶ τὸ πᾶν εἰς ἓν ἀθροισθὲν ὑποδέξασθαι, ταύτην αὐτῷ θέμενοι τὴν προσηγορίαν] Vertit Brencmannus: *Quem librum Digesta siue Pandecten appellauimus, tum quod legum contineat diuisiones ac distinctiones, tum ex eo, quod omnia in vnum collecta recipiat, hanc ipsi ponentes appellationem.* Non recte, si quid ego video: neque enim διαιρέσεις νόμων καὶ διατυπώσεις sunt *legum diuisiones et distinctiones.* Optime vertisset ipsis Latinae Epistolae verbis, *quod et legum in se haberet disputationes*, siue *disceptationes, ac decisiones, et omnia vno quodam complexu coerceret et contineret.* Est autem omnino Constitutio Latina ita corrigenda hoc loco ex Graeca, vt *quia* scribatur, non, *qui omnes disputationes et decisiones in se habent legitimas, et quod vndique fuit collectum, hoc in sinus* (et hic

hic legam, *hi*, vel *hic in sinus suos:* Vulgati enim libri et Noricus inserunt *suos) receperunt.* Habet et *quia* in margine Taurellius, ex correctione recentiore Codicis: quam nec improbasset, opinor, certe non improbare debuisset Gronouius *Emend. Pandect. Cap. XXI.* si in Graeca Constitutione verba haec, quae supra scripsimus, legisset. Saepius quoque haec a librariis, et in Codice maxime Florentino, fuisse confusa, exemplis docuerunt Doctissimus Auctor *Obseruationum Iur. Ciu.* quae Hagae Com. A. 1743 prodierunt, *Cap. VII.* et Vryhouius *Obseruat. Iur. Ciu. Cap. XXXI.*

§. 5. Ἅπερ ἄμφω παρακολουθήματα μὲν καθεζῶτα τῶν πράσεων, πόρρω δέ πῃ τῆς νομοθεσίας ἀπῳκισμένα, συνηγάγομεν ἐγγύθεν διὰ τὴν πρὸς ἄλληλα συγγένειαν] Ora Pacii ἀποκείμενα legit: sed bene habet, et scite dictum ἀπῳκισμένα. Brencmannus vertit, *multo autem remota a veteri iuris ordine:* et verum est, verbum iungi Genitiuo: quod docent et haec Suidae, Ἀπῴκισμαι γενικῇ, quae verba cum pluribus aliis, quibus nulla accedit a Lexicographo explicatio, malo exemplo omissa deprehendimus in nouissima Editione Kusteri. Artemidorus *Oneirocrit. Lib. I. Cap.* 53. τῆς πόλεως, inquit, ἀπῴκισαι ὁ Βυρσοδέψης. Verum hic pendet Genitiuus non a verbo ἀπῳκισμένα, sed a vocula πῃ, vt sensus sit, πόρρω πῃ τῆς νομοθεσίας ἀπῳκισμένα τῶν πράσεων Brencmanni igitur versio, in qua et multa alia videbis perperam expositа, et quaedam praeterea ab operis, vt et alibi saepius, depravata, hunc in modum est reformanda: *Sequentem vero quartam voluminis partem, quae et totius est operis media,*

media, octo aliis libris complexi sumus: in quibus est hypothecaria, non longe admodum a pigneratitia distans. Est et Aedilitium Edictum, et de cuictionibus stipulatio: quae cum duae sint quasi pedisequae quaedam venditionum, et longe tamen ab his seiunctae in veteri iuris ordinatione, propius congregauimus, propter eam quam inter se habent cognationem: ne, quae de iisdem (sed forte interponendum τὰ περὶ τῶν αὐτῶν σχεδὸν διαλεγόμενα, *quae de iisdem paene loquuntur*, vt est in Constitutione Tanta) *loquuntur, longe a se inuicem distarent.*

§. 6. Καὶ τοῦτο δὴ τὸ πέμπτον μέρος τῆς ὅλης συντάξεως τοῖς ἐννέα τόμοις ἀνεῖται βιβλίοις] *Male*, inquit Brencmannus, *Contius et Hotomanus hic habent*, perficere, absoluere. *Videntur* ἀνύεται *cum* ἀνεῖται *confudisse, quod in exemplari est*, et imputatur, refertur, tribuitur, *denotat. Alterum ab* ἀνύω *est, alterum ab* ἀνίημι. Tuetur igitur ἀνεῖται, quod tamen constructum cum τοῖς ἐ. τ. βιβλίοις Graecum certe non est et mendosum sine controuersia, vertitque, *et haec profecto quinta pars totius compositionis ad nouem horsce redigitur libros.* Margo Pacii habet ἀνῦται, et Contius vertit, ac si legeretur ἄνυται vel ἤνυται, *nouem hisce perfecimus libris.* Nobis persuasissimum est, scripsisse Imperatorem ἤνωται pro ἀνεῖται, a verbo ἐνῶ, et sic locum latine reddendum, *et haec quinta pars totius compositionis in nouem libros coadunata est.* Nam ita et in Latina Lege: *Cumque nihil tam peculiare fuerat, quam* ► *vt* ◄ *legatis quidem legis Falcidiae narratio, fideicommissis autem Senatusconsulti Trebelliani: singulis*

lis libris vtrique eorum applicatis, tota pars quinta in nouem libros coadunata est. Quo in loco superfluum visum Taurellio *vt* expunxit Haloander: mihi periisse videtur verbum descriptorum culpa, quod vt sine dubitatione restituere non possim, sensum tamen exhibebo scribendo, *quam vt legatis quidem legis Falcidiae narratio congregaretur.* Vlpiani verba in *L. 3. D. de Iurisdict. Mixtum est imperium, cui etiam iurisdictio inest*, Graeci Iuris Auctores *Tom. I. Basilic. p. 267. A.* ita sunt interpretati, μικτὸν, ᾧ ἔνι ἡνωλαι ἡ δικαιοδοσία. Quem locum ideo annotandum duxi, vt de vsu verbi ἡνωλαι, quod Iustiniano restituimus, constaret. Paulo post horum loco, καὶ ὅταν δέοι πολεμεῖν, ῥᾷστα μετὰ τῆς αὐτῆ ῥοπῆς τῶν ἐναντίων κρατεῖν, Constitutio Tanta habet haec verba, *et omnes gentes in bellicis periculis superposuit*, fauor nempe caelestis. Ita enim recte meo iudicio, vt et hic ipse Graecae Constitutionis locus probat, scriptum erat a manu prima in Codice Florentino, et hoc tmesi vtriusque linguae scriptoribus non infrequenti dictum pro *super omnes gentes posuit:* sed insciter corrector recentior cum non assequeretur, quod haberet aliquid vetustioris elegantiae, *et super omnes gentes in bellicis victoriis posuit* fecit: quae demum plane turbavit Taurellius, duas diuersas lectiones, quarum alteram margini adscribere debebat, in contextum inserendo hoc modo, *et * super * omnes gentes in Vellicis * victori * periculis superposuit*, et in margine pro illo *superposuit* allinendo simplex *posuit*. Persuasissimum enim habeo, primam Florentini libri scripturam amplectendam fuisse vt veram et germanam Iustiniani manum: cuius mentem nec omnino percepit, qui multis contra Gronouium recta

mo-

monentem in *Emend. Pand. Cap. XXII.* disputat, doctissimus Gebauerus: nisi quod de manu Codicis Medicei emendatrice Brencmanno potius, quamuis et ipse sensum vtriusque scripturae minime sit assecutus, fidem habui, quam Gronouio, qui de illo *super*, quod stellulis inclusit Taurellius, nullam κεράιαν esse in membranaceo Mediceo contendit. Verba haec sunt Brencmanni: *Ex notis a Taurellio affixis constat, primam scripturam fuisse*, et omnes gentes in Vellicis periculis superposuit. *Subantiquus corrector posteriori vocabulo praepositionem detraxit, deletamque praecedentibus inseruit, adiecta insuper dictione*, victori. (Immo vero corrector hic *victoriis* legi voluit pro *periculis.*) *Et alteram quidem correctionis partem receperunt Editores, alteram pro arbitrio inflexerunt: habent quippe*, et super omnes gentes (addidi hic vocabulum *gentes*, quod ab operis Goettingensibus omissum videtur) in bellicis victoriis posuit. *Russardus eam referens subiungit: Forte legendum est*, in bellicis victoriae periculis. *Sic ille. Ego vero Taurellium ducem sequor.* Haec Brencmannus, qui, quomodo potuerit hic Taurellium ducem sequi, et ei assensum quoque praebere Gebauerus, cum nullum habeat sensum commodum Taurelliana lectio, sane non intelligo. Confirmat vero quodammodo et hoc primam Medicei libri scripturam nostramque interpretationem, quod Vulgati Pandectarum Codices et Noricus liber correctionem recentionem membranae, vt et alibi saepius, sunt secuti.

§. 7. Τά γε περὶ τῶν ἐν οἰκοδομήμασιν ἔργων, καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν ὀλισθαινόντων τε καὶ καταφερομένων οἰκημάτων ἀσφαλείας] Post οἰκοδομήμασιν peri-

periisse mihi videtur descriptorum culpa verbum μελλησῶν. Verba autem Imperatoris ad hunc modum erant interpretanda: *Sequitur deinde liber alius, qui de nouis,* vel *futuris in aedificiis operibus, et de labantium ac ruinam minantium aedium praestanda cautione, et de his, qui in rebus huiusmodi insidiarum aliquid vel fraudis admiserint, et qui aquarum fluxu damnum vicinis fecerint, et de publicorum vectigalium exactoribus, et insuper de donationibus, tam inter viuos, quam quae mortis causa conficiuntur, disponit. Rursum autem quicquid de quacunque libertate extat, vel quae super ea agitantur controuersiis, id vni traditum est libro.*

Καὶ τὸν τῶν INTERDICTON τε τρόπον ὃ πλείοσιν ἑνὸς παραδεδώκαμεν βιβλίῳ] Errat Brencmannus, qui, *Debebat*, inquit, *alterum τε vel καὶ sequi: nam solitarium illud non inuenitur. Cum autem in Pandectis hic titulus inscribatur* de Interdictis siue de extraordinariis actionibus, quae pro his competunt, *possunt reliqua excidisse.* Certe nihil intercidit, neque delendum τε. Sed hunc in modum verba verti oportuit: *Et interdictorum quoque rationem non pluribus quam vni dedimus libro.* Nec aliter Imperator in Constitutione Tanta: *Postque omnia haec interdicta glomerata sunt.*

§. 8. Ἅπερ ἅπαντα δύο παρ' ἡμῶν συνέταλται βιβλίοις, καὶ τοῖς γε ἔμπροσθεν ἐδὲ εἰπεῖν ἐστιν, ὅσα καθεστῶτα] Ita Taurellius: Brencmannus vero in membrana primum fuisse notat καί γοιγε, quod plane alienum: neque enim absolute ἔμπροσθεν dicitur pro *antiquitus.* Enimuero nec Brencmanni probare possum

coniecturam καὶ τόγε, ob verba haec Conſtitutionis Latinae, *quod in libris antiquis nec numerari poſſibile fuit.* Rectius itaque videtur, quod a correctore libri Florentini profectum καὶ τοῖς γε, puta βιβλίοις, quod modo praeceſſit, et vertendum, *quae quot in libris antiquis conſtituta fuerint iura, neque dicere eſt.* Mox verba περὶ τῶν ἐπ' ἐγκλήμασιν ἁλισκομένων bene interpretatus eſt Contius, *de reis criminum:* quod intactum relinquere debuiſſet Brencmannus, neque commutare iſto, *de conuictis criminum:* in quo ſecutus eſt Hotomanum, qui ſic habet, *qui delicti quidem conuicti ſunt, ſe ipſi autem celant.* In Conſtitutione autem Latina eſt, *ea quae de audacibus hominibus cauta ſunt, qui ſe celare conantur, et contumaces exiſtunt* Sub finem denique paragraphi quod Florentiae legitur, ὅσα τε ὡς ὑπὲρ τῆς τῶν ῥημάτων ἐξὶν ὀνομασίας, rectius meo iudicio ediderat Auguſtinus, ὅσα τε ὑπὲρ, omiſſo illo ὡς, quod plane redundat, et abeſt quoque a verſionibus Contii et Hotomani: nec, vti voluit Brencmannus, ὅσα τέως legi poteſt ſine copula. Delendum igitur eſt *hactenus* in verſione Brencmanni.

§. 9. Ἀνὴρ ἐκ τριγονίας σεμνῆς τῆς παρὰ Φοίνιξιν τῶν νομων διδασκάλης καταβαίνων] Contaminatus plane locus, cuius ſcripturam hodie nec diſcerni ait Brencmannus. Ego ceteris Viri eruditiſſimi coniecturis antehabendam cenſeo illam, γε παρὰ Φοίνιξιν τῶν νόμων διδασκαλείᾳ, quod et in Pariſina apud Claud. Chevallonii viduam curata Editione reperiſſe ſe narrat Hofmannus, et confirmatur a Conſtitutione Latina, cui vocatur Anatolius *vir ab antiqua ſtirpe legitima procedens.*

dens. Mox pro ἀναφέρει γοῦν reſcribimus haud dubitanter, ἀναφέρει γὰρ τὸ γένος, *refert enim genus.* Sequitur proxime, καὶ Πατρίκιον, τὸν αὖθ̃ παῖδας * ὥϛε θαυμασμεν) τὴν τ̃ε μεγαλοπρεπεϛάτε καὶ σοφωτάτε κόμιτος τῶν θείων λαργιτιόνων. Ita quidem Taurellius, appoſita mendi nota Contius autem in verſione manca et mendoſa ſic expleuit: *ſed et Anatolium magnificentiſſimum magiſtrum, qui et ipſe apud Berutienſes ea, quae ex legibus proficiſcuntur, pulchre docet, vir ex tertia ſtirpe laudabili iuris apud Phoenices interpretum deſcendens: (refert enim genus ad Leontium et Eudoxium, homines in legibus optimae memoriae poſt Patricium inclytae recordationis, Quaeſtorium et Anticenſorem, et Leontium glorioſiſſimum Expraefecto et Exconſule, atque Patricium eius filios, ſummae admirationis viros) et Cratinum* etc. Hotomanus in metaphraſi ſua praeteriit mendoſum illud ὥϛε θαυμασμεν, eiusque loco ἄνδρας ἐπὶ νόμοις εὐδοκιμήϛας legit, vt et habet in Editione ſua Codicis Ruſſardus: at male is coniunxit, quae diſiungenda erant, hoc modo: *tum etiam Anatolio magnificentiſſimo magiſtro, qui et ipſe apud Berythienſes leges profitetur, viro ex illuſtri legum profeſſorum apud Phoenices tertia generatione deſcendente: vtpote qui genus referat ad Leontium et Eudoxium viros legum peritia celebres, poſt Patricium inſignis memoriae Quaeſtorium Anticenſorem, et Leontium celeberrimum Expraefectum, Exconſulem, et Patricium ipſius filium, et Cratinum virum illuſtrem et magnificentiſſimum ſimul et ſapientiſſimum Comitem ſacrarum largitionum: eſt autem et ipſe legum optimus interpres in hac regia vrbe,* Chriſtfr. Waechtlerus in libello, quem *de veteri iure enu-*

cleando ad Nicet. Spilium διάσπασμα inscripsit, *Opusc. p.* 350. cum Russardo ἄνδρας ἐπὶ νόμοις εὐδοκιμοῦντας, et paulo post ὡς τεθαυμασμένον, *quod certe est admirandum*, legit, aut ὥστε θαύμασμεν, *quod*, inquit, *est pro* θαυμάζομεν: et multa praeterea alia in hoc loco ob inscitiam linguae Graecae perperam explicauit, quae non necesse habui huc referre. Sed Brenemannus hic recte e membrana edidisse monet Augustinum τὸν αὐτοῦ παῖδα, id se cognouisse e tenuibus scripturae vestigiis: et in Constitutione Latina Florentiae legitur *filium eius*. Igitur putem et hic fuisse, καὶ Πατρίκιον τὸν αὐτοῦ παῖδα, ὡς τεθαυμασμένους· καὶ Κρατίνου τε τοῦ μεγαλοπρ. καὶ σοφωτάτου κόμ. τῶν θ. λ. Locus autem integer, et ab operis male habitus in Gebaueri Editione, sic erat latine reddendus: *Quae omnia confecta sunt et elaborata cum cura ac pro dignitate nostrae iussionis per Tribonianum, splendidissimum et prudentissimum Magistrum, et Exquaestore nostri palatii, et Exconsule, virum et in ipso rerum actu, et in dicendo, et in legibus scribendis satis spectatum, et qui* (Tusca Membrana τῶντε, non τῶνδε, et ita Augustinus quoque, probante Brenemanno: sed Taurellius certe voluit τῶν δὲ) *nihil vm. quam nostris mandatis antiquius habuit: nec non per alios, qui sub ipso nobis hoc opus elaborarunt: Constantinum nempe, magnificentissimum Comitem sacrarum largitionum, et Antigrapharium sacri scrinii sacrorumque libellorum et cognitionum imperialium, qui nobis bonam de se opinionem in omnibus praebuit: nec non Theophilum, magnificentissimum Magistrum, et iura in hac regia vrbe grauiter et indefessim, vtque professoriae dignitati conuenit, docentem: et Dorotheum, magnificen-*

centissimum Quaestorium, et Doctorem in legum ciuitate constitutum, (dicimus autem celebrem ac splendidam Berytiensium metropolin) quem optima eius existimatio et ad nos deduxit, et vt participem huius operis faceremus, hortata est: et Anatolium, magnificentissimum Magistrum, qui et ipse iura apud Berytienses docet praeclare, vir ex tertia progenie venerabili iuris apud Phoenices Doctorum descendens: (refert enim genus ad Leontium et Eudoxium, viros, in legibus post Patricium inclytae recordationis, Quaestorium et Antecessorem, et Leontium, omni laude dignum Praefectorium et Consularem, et Patricium, filium eius, multae admirationis) et Cratinum, magnificentissimum ac prudentissimum Comitem sacrarum largitionum: (etenim et is optimus est Iurisconsultus in hac regia vrbe) et praeterea per Stephanum, Menam, Prosdocium, Eutolmium, Timotheum, Leonidam, Leontium, Platonem, Iacobum, Constantinum, Ioannem, viros prudentissimos, qui actores quidem omnes sunt causarum apud glorioſissimos sacrorum nostrorum Praetoriorum Praefectos, laudem autem apud omnes merito habentes prudentiae, iure a nobis digni iudicati sunt, qui fierent tanti certaminis participes. Atque haec in Graeca Epistola de compositoribus Pandectarum Iustinianus. Sed in Latina, vt hoc etiam obiter admoneam Lectores, cum nihil annotatum videam in Gebaueri Editione, scribendum omnino et distinguendum arbitror cum Vulgatis, *qui patroni quidem sunt causarum apud maximam sedem praefecturae, quae orientalibus praetoriis praesidet: omnes autem suae virtutis testimonium vndique accipientes, et a nobis ad tanti operis consummationem electi sunt.* Florentinus ibi liber et Noricus post

τελείαν σιγμὴν habent, *Omne autem ſuae virtutis teſtimonium.*

§. 10. Ὥσπερ καὶ εἴ τι σασιαζόμενον ἐκείνοις ἦν, (πολλὰ δὲ τὰ τοιαῦτα ἀπέκειτο) τοῦτο διήρηται τε, καὶ πεπέρασται, καὶ εἰς σαφῆ περιέσηκε τέλος ἔχοντα νόμον] Malim σασιαζόμενον ἐν ἐκείνοις, quod et habet Pacii margo, et Conſtitutio Tanta, *ſi quid inter eos dubitabatur.* Recte vero haec verba, minus percepta a Contio et Hotomano, ſic explicauit Brencmannus: *Nomina enim antiquis ſeruauimus, legum autem veritatem noſtram fecimus: quemadmodum etiam ſi quid diſſidens iis inerat, (plurima vero eiusmodi extabant) id diſtinctum eſt et definitum, et ad clarum abſolutumque ius eſt redactum.* Sed mihi a Iuſtiniano profectum videtur, quod et vertendo expreſſit Brencmannus, καὶ εἰς σαφῆ περιέσηκε καὶ τέλος ἔχοντα νόμον. Hotomanus, cuius interpretationem hic non annotauit Brencmannus, ſic dederat: *quemadmodum etiam ſi quid diſſidens in his extabat, (multa autem extabant huiusmodi) id omne diſtinctum eſt, et ſuis limitibus determinatum: denique vt in clarum finem redigeretur lex quaeque, perfecimus.* Ora Pacii habet ἐπέκειτο pro ἀπέκειτο, et εἰς σαφὲς παρέσηκε τέλος ἔχοντα νόμων, quae nemo Graece ſciens probabit.

§. 11. Ἀλλὰ Τριβωνιανῷ τῷ ἐνδοξοτάτῳ, τῷ καὶ τὴν τῆς ὅλης νομοθεσίας ὑπεργίαν ἐπιτετραμμένῳ, καὶ Θεοφίλῳ γε μὴν, καὶ Δωροθέῳ τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις ἀντικήνσορσιν ἐγκελευσάμενοι διεταξάμεθα, προσήκειν ἐκ τῶν τοῖς ἀρχαίοις ἐν εἰσαγωγαῖς συγκειμένων τὰ καιριώτατά τε καὶ κρατοῦντα, καὶ ὁπόσα τοῖς

νῦν

νῦν πολιτευομένοις συμφέρεται πράγμασιν, ταῦτα ἐξελεῖν, καὶ ἀθροῖσαι, καὶ εἰς ἡμᾶς ἀγαγεῖν] Quid sibi velit hoc in orationis tenore προσήκειν, nullus capio. Brencmannus nullo sensu *conuenire*, et totum locum parum eleganter ac perspicue sic vertit: *Triboniano glorioſiſſimo, cui vniuersae iurisprudentiae ministerium commissum fuit, et Theophilo quoque ac Dorotheo, magnificentiſſimis et doctiſſimis Anteceſſoribus mandantes conſtituimus, conuenire ex iis, quae ab antiquis in Iſagogis compoſita fuerunt, opportuniſſima et obtinentia, et quaecumque cum iis, quae nunc in vſu, concurrunt, haec excerpere colligereque et ad nos perducere.* Contius et Hotomanus in versionibus suis omisere vocabulum προσήκειν. Ego προσάγειν pro προσήκειν, et ἐγκαλεσάμενοι scribendum censeo vice ἐγκελευσάμενοι, vt haec sit loci totius sententia: *Sed cum oporteret et mediocrem quandam Iſagogen condere in gratiam eorum, qui recenter leges attingunt, neque maiorem doctrinam capiunt, huius quoque rei habendam nobis rationem eſſe cenſuimus, et ideo Triboniano, viro ſplendidiſſimo, et cui omnis huius iuris condendi miniſterium concreditum fuit, nec non Theophilo et Dorotheo, magnificentiſſimis ac prudentiſſimis Anteceſſoribus, accerſitis, mandauimus, vt conquirerent ex iis, quae a veteribus erant ſub Iſagogarum nomine compoſita, aptiſſima quaeuis et obtinentia, et quicquid negotiis, quae nunc in republica occurrunt, conſentaneum inueniretur, hoc excerperent, atque colligerent, nobisque offerrent.* In Constitutione autem Tanta, quam tueri videbis emendationes nostras, quod Florentiae ita scriptum est, *et aliam mediocrem emendationem praeparandam eſſe cenſuimus*, et vbi Vulgati Editores et

Haloander ingenioſe ſatis (neque enim e veteribus libris, ſed ex ingenio ſumptum arbitror) *mediocrem eruditionem* ediderunt, ego ab Imperatore profectum putem, *et aliam mediocrem* εἰσαγωγὴν *praeparandam eſſe cenſuimus.*

§. 12. Ὅπερ ἦν μὲν τὴν ἀρχὴν ὑπὲρ ἅπασαν ἐλπίδα, τὰ δὲ δὴ τελευταῖα μεθ' ὅπερ ἡμῖς βατὸν εἶναι τὸ πρᾶγμα ἐδείξαμεν, οὐδὲ εἰς δέκατον ἔτος ὅλον συντεθῆναι προσδοκηθὲν] Ob hunc locum veriorem quis poſſet arbitrari in Conſtitutione Tanta lectionem a correctore profectam, *quae vt primum ſperari coepit*, pro *ſeparari*, quod vulgo explicant, ſed parum commode per *ſeligi*, niſi et continue ſequeretur *ſperabatur*. Ego igitur potius legerim, *quae vt primum ſuperari coepit, neque in totum decennium compleri ſperabatur:* nam et hoc loco, μεθ' ὅπερ ἡμᾶς βατὸν εἶναι τὸ πρᾶγμα ἐδείξαμεν, inquit Imperator. Bynkershoekius *Obſ. Iur. Rom. Lib. VII. Cap.* 25. coniiciebat legendum *reparari* vel *praeparari*: ſed vtrumque probabit, opinor, nemo. Graecorum autem verſionem clariorem certe, quam eſt hoc loco Brencmanniana, et quo ſimul vno loco Conſtitutionem ipſam emendem, ſubiiciam. *Sic igitur Romana legislatione ordinata, et tribus integris et voluminibus et annis* (ita vertenda omnino arbitror haec, ἐν ϑρισὶν τοῖς ὅλοις βιβλίοις τε καὶ ἐνιαυτοῖς, et reſpexiſſe imprimis Imperatorem ad Digeſta intra triennium compoſita: neque probari poteſt meo iudicio Gebaueri optnio, *tribus in vniuerſum libris* vertentis, *vt nempe*, inquit, *Inſtitutis et Digeſtis etiam Codex annumeretur, cum tres anni, quod Imperator addit, Codicis*

dicis confectionem non includant) tanto opere perfecto: (quod enim initio supra omnem spem erat, ad extremum vero postquam nos superabilem rem esse docuimus, neque decem annis perfici et absolui posse totum videbatur, id trium dumtaxat annorum celeritate confecimus) et hac opera omnipotenti Deo oblata, qui et pacem agere, et bella feliciter gerere, et iura condere, omni tum anteactae, tum nostrae, tum sequenti largitur aetati: iustum esse putauimus, testatum omnibus facere nostrum erga eos studium et prouidentiam, vt nempe priore soluti perturbatione, et confusione, et nullum finem habente legislatione, vsuri essent posthac legibus et rectis, et concisis, et omnibus ad manum positis, et litium compendium amantibus, et quae parari facile possent ab omnibus, qui vellent, vt nec amplius multa opus esset pecunia ad comparandam inutilium istorum voluminum multitudinem, sed minimo pretio, tam ditioribus, quam tenuioribus, praeberent sui coemendi copiam. Ita conuerti modo, vt potui, latine ad verbum haec, παυλὶ τῷ γε πρὸ ἡμῶν, τῷ γε ἐφ' ἡμῶν, τῷ γε μεθ' ἡμᾶς δωρησαμένῳ χρόνῳ: sed valde vereor, ne illa τῷ γε πρὸ ἡμῶν sint a largitione descriptoris: quibus omissis certe sensus multo melior ac planior hic erit, *qui et pacem nobis agere dedit, et bella feliciter gerere, et iura condere, omni tam nostrae, quam futurae aetati.* Et confirmare possum hanc quoque coniecturam e Constitutione Latina, in qua Iustinianus, *Vberesque gratias*, inquit, *maximae Deitati reddidimus, quae nobis praestitit et bella feliciter agere, et honesta pace potiri, et non tantum nostro, sed etiam omni aeuo, tam instanti, quam posteriori, leges optimas condere.*

§. 13.

§. 13. Πλὴν ἐσιν, ὅπη καὶ τὴν τῶν ὁμοίων παρεδεξάμεθα θέσιν, ἢ τῶν ὑποκειμένων πραγμάτων τέλο ἀπαιξίνλων, τὸ δεῖν ταυτὸ πλέιοσιν ἐφαρμοσθῆναι τόποις, ἤ τε συναναμεμίχθαι τινὶ ξένῳ τὸ δοκῶν ὅμοιον τῷ πρόσθεν, καὶ δύσκριλον αὐλῶν τὴν διαίρεσιν εἶναι] Bene ὁ μακαρίτης Gebauerus noſter τῷ συναναμεμίχθαι legit, vertitque, *aut quod commixtum ſit extero cuipiam id quod videtur ſimile antecedenti, ſitque iſtorum diſcretio ſeparatu difficilis.* Idem enim valere τῷ cum verbo infinito ac διὰ τὸ, docebit, ſi quis exempla deſideret, Gatakerus *ad M. Antonin. p.* 85. Habet etiam ora Pacii τῷ συναναμεμίχθαι, ſed et ξένον, quod nemo probet, pro ξένῳ. In Conſtitutione Tanta certe non recte ſic ſcriptum eſt: *Aut enim ita lex neceſſaria erat, vt diuerſis titulis propter rerum cognationem applicari eam oporteat: aut cum fuerat aliis diuerſis permixta, impoſſibile erat * eam * per partes detrahi, ne totum confundatur.* Nec ibi cum Gronouio *Emend. Pand. Cap. II. extr.* interpolatrici manui tribuerim *eam*, quod retinent verbum omnes Editi, tametſi manus recens id ſuperpoſuerit in Mediceis membranis. Sed ego ſcribendum omnino cenſeo, *impoſſibile erat ea*, diuerſa nempe, quae Legi erant admixta, *per partes detrahi:* vt et in Graeca eſt Epiſtola, δύσκριλον αὐτῶν τὴν διαίρεσιν εἶναι. Totum autem Graecae Legis locum cum nimis preſſe verterit more ſuo ac perobſcure Brencmannus noſter, nouam interpretationem paulo commodiorem, vt puto, ac planiorem appoſui. *Si quid autem in hac tanta etiam nunc legum ex tot myriadibus collecta multitudine inueniatur forſitan ſimile, ſiue geminatum: (quamquam id perrarum fore arbitramur) humanae tamen imbecillitatem*

tatem naturae considerantibus neque hoc extra iustam excusationem positum esse videbitur. Etenim in nulla penitus re aberrare, solius fuerit diuinae potentiae, non autem humanarum virium: quemadmodum et a maioribus dictum est. Quamquam et similium admisimus nonnumquam positionem: siue quod res ipsae id exigerent, vt idem pluribus accommodaretur titulis: aut quod diuerso cuidam commixtum esset id, quod simile videbatur ante posito, nec fieri facile poterat eorum disiunctio: aut quod saepe etiam seruanda fuit totius meditationis (siue *visionis*, vt vtar Latinae Constitutionis, quod Florentiae est, vocabulo: quo loco perperam vulgo *iussiones* scriptum est, probante tamen Waechtlero *Opusc. p.* 539. sed recte inibi libri Vulgati et Noricus habent *perfectissime*, et mendose Florentinus, *perfectissimae visiones expositae veterum) continentia, ne mens detraheretur verborum, quae iam ante scripta fuerant, amputatione: quin et hoc sicubi admissum est propter rei necessitatem, breue tamen id est, neque vllum fere sui praebens sensum.* Perperam sane Hotomanus, quem et alibi in hac ῥήσει interpretanda, vt et Contium, aberrasse video, verba πλὴν καὶ τοῦτο εἶπε καὶ παρείληπται διὰ τὴν τῶ πρώγματος ἀνάγκην, ita reddidit, ac si παραλέλειπται scriptum esset, *nisi hoc necessitate existente alicubi praetermissum est.* Et secutus videtur eandem sententiam Brencmannus, ita tamen, vt legisse eum παρείληπται appareat, vertens: *Verumtamen est, quatenus etiam similium admisimus positionem, vel subiectis rebus id postulantibus oportere idem pluribus accommodari locis, aut quod commixtum sit cum aliqua noua re id, quod videtur simile priori, et difficilis eorum diiudicatio et*

distin-

distinctio sit, aut vt saepe seruetur totius inspectionis continuatio, neque diuellatur sententia eorum, quae iam scripta fuerant, subtractione verborum, nisi si et hoc alicubi assumptum est ob rei necessitatem: verum id exiguum est, et nullum sui ipsius fere praebeat sensum. Sed nostram interpretationem plane comprobat Epistola de Pandectis prima, in qua raro tantum, et cum grauis aliqua subsit causa, similia admitti iubet Imperator. *Sed et similitudinem*, inquit, *Const. Deo auct. §. 9. secundum quod dictum est, ab huiusmodi consummatione volumus exulare: et ea quae sacratissimis constitutionibus, quas in Codicem nostrum redegimus, cauta sunt, iterum poni ex veteri iure non concedimus: cum diualium constitutionum sanctio sufficit ad eorum auctoritatem: nisi forte vel propter diuisionem, vel propter lectionem, vel propter pleniorem indaginem hoc contigerit: et hoc tamen perraro, ne ex continuatione huiusmodi lapsus oriatur aliquid in tali prato spinosum.* Ita enim vere, opinor, emendauit Gronouius *Emendat. Pand. Cap. X. propter lectionem*, praeeunte membrana Medicea, in qua scriptum erat initio *propterletionem*, adiectumque recentiore manu superius *ep* inter *r* et *l*: quam correctionem Codicis recentiorem secutus Taurellius edidit *propteRepletionem*, et vane prorsus Io. Guil. Hofmannus *Meletem. ad Pand. Diss. I. §. 1.* coniiciebat legendum esse *propter relationem*, si forte in Constitutionibus suis *se referrent* Imperatores ad ICtos. Sed Gronouius, tametsi assecutus videtur ingenio Iustiniani manum, tamen ipsum locum perperam, meo quidem iudicio, interpretatur, cum, *Electionem*, inquit, *vel lectionem vocat, quoniam cum multa esset casuum in legibus et rerum cognatio, vt ait Epist.*

Epist. III. §. 10. *vulg.* 14. *lectio eius in hoc titulo aeque necessaria erat, quam in altero, atque adeo diuersis titulis eadem lex applicari deberet, vt eligi ex ea sic posset, quod ad hunc titulum requirebatur, quo de agebatur.* Nam et hoc modo, quod ipse reprehendit in lectione Taurellii, *repletionem* nihil aliud in hac sententia posse notare nisi pleniorem indaginem, idem bis dixisset Imperator, *propter diuisionem* et *propter lectionem*, siue electionem. Imo, si quid video, hoc dicit, contingere posse, vt simile quiddam alicubi admittatur, vel propter diuisionem, cum detrahi non potuerit similitudo, quae esset aliis diuersis permixta, vel propter lectionis, siue testimonii auctoritatem, quam in iudiciis haberet veteris cuiusdam ICti locus, (neque enim Principum modo Constitutiones, seu iura publica, sed et probatorum publice ICtorum Responsa recitare in iudiciis moris erat) vel propter pleniorem indaginem. Quo sensu in *L. vn. C. Theod. de Resp. Prud. Papiniani*, inquiunt Theodosius et Valentinianus Augusti, *Pauli, Gaii, Vlpiani, atque Modestini scripta vniuersa firmamus: ita vt Gaium, atque Paulum, Vlpianum, et ceteros* (praedictos, puta, Papinianum et Modestinum, neque *vt ceteros* scribendum) *comitetur auctoritas lectionis, quae ex omni eius opere recitatur*: et vide, quae ibi annotauit Iac. Gothofredus. Ceterum vere id dictum a Iustiniano, similes se quosdam locos reliquisse, quoniam necesse erat ob rerum cognationem sub diuersis titulis idem scribi: aut cum aliis rebus id esset permixtum, detrahi non potuit, ne menti auctoris tenebrae offunderentur: aut quod et facile fuit, in tanta legum multitudine humano errore labi. Complures enim huiusmodi locos,

qui-

quibus idem saepius inculcatur, cuius rei et plerumque ratio quaedam idonea dari potuit, collegerunt post veteres Iuris nostri Interpretes, quos vbique similes contrariosue locos diligenter annotasse constat, Ant. Augustinus *Emendat. Lib. I. Cap.* 7. Rad. Fornerius *Rer. quotidian. Lib. I. Cap.* 17. et imprimis Guido Pancirolus *Thes. var. lect. Lib. I. Cap.* 78. Et nouissime aduersus Pard. Prateium causas quarundam Legum geminatarum bene explicauit Guil. Pauw *Var. Iur. Ciu. Cap. I.*

§. 14. Τὰ γὰρ ἐκείναις εἰρημένα, κατὰ τοῦτο τεθῆναι τὸ βιβλίον ὃ συνεχωρήσαμεν, πλὴν ὅσον ἐκ τοῦ . . . . . σει τῆς ὁμοιότητος αἰτιῶν] Oleum certe et operam perdidit Contius in Graecis supplendis: nam quae ille interposuit, πλὴν ὅσον ἐκ τοῦ ἔν τινι σπανίως περιεχόσει τῆς ὁμοιότητος αἰτιῶν, vertitque latine, *nisi ob aliquam interdum circumstantiam similitudinis aliqua causa relicta est*, ne Graeca quidem sunt. Nec video, quid spectauerit Hotomanus, qui sensu plane nullo locum ita vertit: *Nam quae his libris adscripta fuerant, ea non permisimus hoc in libro collocari, praeter ea, quae propter causarum similitudinem, quam habent inter se, sunt affinia et cognata.* Ego lacunam, quam Brencmannus et hic in versione reliquit, e Latina Epistola fere sic expleuerim, πλὴν ὅσον καὶ τοῦτο σπανίως ἐκ τῶν αὐτῶν τῇ θέσει τῆς ὁμοιότητος αἰτιῶν. *Quod ipsum*, inquit, *et in his, quae iam olim Imperialibus Constitutionibus sancita fuerant, seruauimus: nam quae illis iam cauta erant, ea nec in hoc libro poni concessimus: nisi et hoc raro ex iisdem causis, quibus similitudo assumpta est.* Mox quod prima Constitutione mandauerat

rat curari Imperator a compositoribus Pandectarum, vt omnis abesset ab iis ἀνωμαλία, id, absoluto iam opere, factum esse gloriatur; sed bene temperat hoc loco his verbis, ἐκ ἂν τις ἔυροι ῥαδίως, εἰγε διὰ πάντων τῶν τῆς ἐναντιότητος ἐρων διεξελθεῖν σπεύσειεν, id est, *neminem facile contrarias leges inuenturum, si modo omnes diuersitatis rationes diligenter examinare velit:* ita enim verti haec oportuit, quae minus perceperunt Interpretes. Contra in Epistola latine Digestis iam perfectis scripta simpliciter ait: *Contrarium autem aliquid in hoc codice positum nullum sibi locum vindicauit, nec inuenitur, si quis subtili animo diuersitatis rationes excutiet.* Sed constat sane hodie inter Eruditos, remansisse quaedam in Pandectis veterum dissensionum vestigia: et si quidem manifesta sit ἀνωμαλία, nec insit, quod obseruari voluit Iustinianus, occultius quiddam, quod discordiae querelam dissoluat: vel traducenda sunt pugnantia loca ad recentiores Iustiniani Constitutiones, vt inde emendationem et controuersi iuris decisionem referamus; vel, si hoc fieri non licet, vtraque sententia momento suo diligenter, vt puto, ponderata, quid sequi conueniat, statui debet. Nam certe quidem ego in talibus cum Ill. Püttmanno *Probab. Iur. Ciu. Lib. II. Cap.* 3. aetatis ICtorum rationem haberi nolim, cum omnium eadem sit auctoritas, neque alterum altero potiorem haberi voluerit Iustinianus: et bene hac de causa in *L. vn. Cod. Theod. de Resp. Prud.* Valentinianus III. Imp. inquit: *Vbi pares sententiae recitantur, quorum par auctoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio iudicantis.*

§. 16. Εἰ δὲ καί τι τυχὸν παρεῖται τῶν τεθεῖναι δεόντων, (εἰκὸς γὰρ καί τι τοιοῦτο συμβῆναι διὰ τὴν τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθένειαν φύσεως) ἀλλὰ τῷ παντὶ κάλλιον ἂν

εἴη τοῖς ἡμῶν ὑπηκόοις, πολλῶν ἀπηλλάχθαι κακῶν, τῷ καταλιπεῖν ἴσως ὀλίγα τινὰ τῶν δοκούν]ων ἐπιτηδείων] Florentinus liber et cum eo Augustinus recte habent τεθῆναι. Statim vero quae sequuntur, quod nemini Interpretum aduersum miror, sensum habent a mente Imperatoris prorsus alienum. De quo, tametsi per se nunc apparet satis, tamen quo minus dubites, audi modo ista nouissime vertentem Brencmannum: *Si autem aliquid fortasse praetermittitur eorum, quae poni oportet, consentaneum* (praeteritum hic puto *enim* a typotheta Goettingensi, et verba ipsa vsque ad *naturae* signis erant parenthesios includenda) *est et quid huiusmodi contingere propter humanae imbecillitatem naturae, certe omnino praestantius fuerit subiectis nostris, multis liberari inutilibus, quam relinquere (quam praetermittere* vertendum erat: sed incrustare voluit Brencmannus vitium: et haec si germana esset interpretatio, certe τῷ καταλιπεῖν χώραν ἴσως ὀλίγοις τισὶ scripsisset Imperator) *pauca quaedam eorum, quae videntur vtilia, myriadibus propemodum innumeris defossa et condita, et nemini forte mortalium nota, et propterea facile latentia.* Ego mendoso haud dubie loco vel sic succurrendum censeo, vt vocula τῷ transposita legatur,]ᾧ πολλῶν ἀπηλλάχθαι κακῶν, τὸ καταλιπεῖν ἴσως etc. vel hoc modo, vt inseratur particula negatiua, τῷ μὴ καταλιπεῖν. Et hac posteriore recepta lectione, sensus hic erit: *Sed si quid et forte praetermissum est eorum, quae poni oportuerat: (credibile enim, et tale aliquid contigisse propter humanae imbecillitatem naturae) multo sane vtilius est imperio nostro subiectis, liberari multis inutilibus, quam non priuari forte paucis, quae videbantur idonea, myriadibus prope infinitis defossa et condita,* (ἐγκατορωρυγμένα]ε καὶ ἀποκείμενα bene restituit e membrana Etrusca Brencmannus) *et nemini*

mini forte mortalium nota, ideoque facile latentia. Atque fuisse hanc Iustiniano mentem, docet Constitutio Tanta, in qua, *dein quod multo vtilius est*, inquit, *pauca idonea effugere, quam multis inutilibus homines praegraBare.* Quo loco scripserim more Taurelliano *praegraBarE*, id est, *praegrauari:* sed bene habet *effugere*, praetermittere, praeterire, pro quo temere scripsit Haloander, *pauca idonee effingere*, et Vulgati Editores, *pauca idonee effundere*, quorum lectionem docuit me Editio, quam Baudoza anno 1593 Lugduni curauit: caret enim ea, vt et centies alibi, Vulgata scriptura, Gebaueriana Editio: in veteri autem Edito Moguntino Franc. Car. Conradi *Hist. Pand. authent. p.* 140. a se repertum scribit, *pauca idonea effundere.* Et eodem loco eiusdem Epistolae, quod paene praeterieram, vbi vulgauit Taurellius, Vulgatos libros secutus, *nullam sui ad eruendum praebuit copiam*, Gronouius vero *Emend. Pand. Cap. XIV.* Florentiae pro voce postrema legi ait *propriam*, conuertitque hoc ipse in *prope viam*, mihi plane dubium non est, quin princeps Iuris nostri ediderit, *quod multis inutilibus permixtum nullam sui ad eruendum praebuit prope copiam:* vt et hoc loco habet ὀδενὶ σχεδὸν τῶν πάλαι γνώριμα.

§. 18. Καὶ ὀχ ἡμέτερόν γε τοῦτο λέγομεν μόνον] Scribendum ait Io. Guil. Hofmannus l. c. λεγόμενον vice λέγομεν μόνον. Probo λεγόμενον: sed seruandum, me iudice, fuerat μόνον, *neque vero hoc solum a nobis dictum est.* Et ab hac lectione est Constitutio Tanta, cuius verba, vt eadem opera emendem Florentinam scripturam, adscribam. *Sed quia diuinae quidem res perfectissimae sunt, humani vero iuris conditio semper infinitum decurrit, et nihil est in ea, quod stare perpetuo possit, multas etenim formas edere natura nouas deproperat: non desperamus quaedam postea*

emergi negotia, quae adhuc legum laqueis non sunt innouata. Si quid igitur tale contigerit, Augustum imploretur remedium: quia ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus praeposuit, vt possit omnia, quae nouiter contingunt, et emendare, et componere, et modis et regulis competentibus tradere. Et hoc non primum a nobis dictum est, sed ab antiqua descendit prosapia, etc. Probo hic Vulgatae et Noricae *in infinitum*, quod displicebat Gronouio *Emend. Pand. Cap. II.* idque interpretor, in indefinitum: nam in Graeca Epistola ait, τὴν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀορισίαν. Recte vero et iidem libri habent, *legum laqueis innodata:* quo de verbo vide Iac. Gothofredi *Glossar. nomic. Cod. Theod.* Et vereor, ne idem extet vocabulum in ipsa membrana Tusca, licet *innouata* ex illa dederit Taurellius, qui et in Annotatis, quod primum me docuit F. C. Conradi, (suppresserunt enim hic, vt opinor, verba Taurellii, quae summa cura exscripserat notisque suis inseruerat Gebauerus, operae Goettingenses) *innodata* praefert, neque correxerint hoc loco Taurellii librum Gronouius aut Brencmannus. Sed similitudinem literarum D et U in Codice Florentino videre est apud ipsum Gronouium *Emend. Pandect. Cap. III.* et in expresso aere literae Florentinae specimine apud Gebauerum *Narrat. de H. Brencm. p. 75.* Verba autem Taurellii in Annotatis haec sunt: *Innouata. sic in P. rectius in ceteris, innodata.*

§. 19. Διὰ τὸ, κἂν εἰ δοκόιη τινά πως ἀλλήλοις μὴ συμφθέγγεσθαι, ἀλλ' οὖν τὸ μὲν πρότερον ἡμῖν ὡς ἀλυσιτελὲς ἀπαρέσαιτο, νῦν δὲ τὸ δόξαι κραιεῖν] Nimia religione obscurauit mentem Imperatoris Brencmannus, ita vertens, *propterea quod etiam si videantur quaedam quodammodo inter se minime consonare, attamen prius nobis tamquam inutile displiceret, nunc autem hoc obtinere visum sit.* Imo hoc dicit, *quia, et si videantur quaedam in vtroque,*

que, veteri, puta, et nouo Iure, *non consonare, tamen prius illud nobis vt inutile displicuit, nunc autem hoc obtinere visum est.* Et sic in Constitutione Tanta Imperator noster, *Hasce itaque*, inquit, *leges et adorate et obseruate, omnibus antiquioribus quiescentibus: nemoque vestrum audeat vel comparare eas prioribus, vel si quid dissonans in vtroque est, requirere: quia omne, quod hic positum est, hoc vnicum et solum obseruari censemus.* Quo loco, licet paulo serius, monente Brencmanno, recte tamen additum est *quia* in Codice Florentino, vti Constitutio Graeca docet: nec audiendi sunt, qui expungunt vocem, quam et Vulgata et Norica agnoscunt, Gronouius *Emend. Pandect. Cap. XV. extr.* et Brencmannus. Mox quod *§pho seq.* Graecae Epistolae ait, ἑδενὶ μείζονος αὐθενλίας παρὰ τὸν ἕτερον φιλοτιμηθείσης, docet, ni fallor, et in Constitutione Tanta a Iustiniano fuisse, *omnibus vno dignitatis apice impertito, nec cuidam aliqua praerogatiua vindicata;* non, vti Tuscus liber habet, *nec sibi cuidam aliquam praerogatiuam vindicante;* pro quo cum Vulgatis Haloander dedit, *nec sibi quoquam,* vetus autem Moguntinus liber, teste Conrado, verbum *sibi* omittit. Verba autem postrema huius paragraphi quis intelligat in hac Brencmanni versione, *si enim vniuersis eorum scriptis Imperatoriarum Constitutionem tribuimus vim: quidnam in his maius quis, aut minus habere existimet?* Enimuero hoc voluit Iustinianus: *Si enim omnibus, quae ab illis scripta sunt, Imperialium Constitutionum tribuimus vobur: quid est, quod amplius, aut minus horum aliquis habere videatur?* Hodie omnem de partibus Iuris ciuilis, deque auctoritate constituentium, diligentius quaerendi necessitatem sustulisse se ait Imperator, dum omnia sic accipi iusserit, quasi ab ipso fuerint profecta, vt quae probando sua fecerit.

§. 21. Πλὴν εἰ μὴ βελτθεῖεν εἰς μὲν τὴν Ἑλλήνων

γλῶτταν αὐτὰ μεταβαλεῖν] Scribendum forsitan αὐτὰς μεταβαλεῖν, puta, τὰς νόμους, et fuerit fraudi librariis praecedens ὑπομνήματα: aut loquitur ita Imperator, ac si ante scripsisset τὰ τῶν νόμων. Et hoc ego malim, quia et mox ait, ἕτερον δὲ παντάπασιν μηδοτιοῦν περὶ αὐτὰ πράττειν. Deinde ex hoc, quod sequitur, καὶ εἴτι κατὰ τὴν τῶν ὀνομαζομένων παρατίτλων, ὡς εἰκὸς, προσγράψαι βεληθεῖεν χρείαν, manifestum arbitror, et in Constitutione Latina fuisse, *et si quid forsitan per titulorum subtilitatem annotare maluerint*, non, *et siqui forsitan*: vbi et Brencmannus in membrana additum *d* recentius notat, et Conradi a se repertum in veteri Edito Basileensi, *et si quid forsitan*. Mentio est horum Paratitlorum, vt et hic innuit Imperator, in *Const. Deo auct.* §. 12. quem locum praeclare meo iudicio ex Medicea membrana restituit Gronouius *Emend. Pandect. Cap. VIII.* cui et ego fidem maximam habeo, et praetermissa arbitror incuria Brencmanni a Gronouio iam annotata. Verba, vti totum locum profectum puto a Iustiniano, haec sunt: *Nostram autem consummationem, quae vobis Deo annuente componetur, Digestorum vel Pandectarum nomen habere sancimus: nullis iuris peritis in posterum audentibus commentarios illi applicare, et verbositate sua supra dicti codicis compendium confundere: quemadmodum in antiquioribus factum est. Sed sufficiat per indicis tantummodo titulorum subtilitatem quaedam admonitoria eis facere, nullo ex interpretatione eorum vitio oriundo.* Scripsi primum, Gronouio, vel potius Florentinae membranae obsecutus, *per indicis tantummodo titulorum subtilitatem quaedam admonitoria facere*; hoc enim est, per paratitla interpretari: quae, vt verbis vtar Cuiacii *praefat. ad Parat. in Cod.* nihil aliud sunt, quam *breues quaedam et subtiles annotationes, et quasi monitoria siue claues eorum, quae singulis*

lis titulis continentur: et plura dabit de indole horum paratitlorum Menagius *Amoenit. Iur. Ciuil. Cap. XV.* Et merito igitur Taurellium reprehendit Gronouius, quod *per indices* (scribendum enim illi fuerat, cum ita sit in Codice, *per indic Es) tantummodo et titulorum subtilitatem,* ✻ *quae παράτιτλα nuncupantur,* ✻ dederit, interpolata optima libri Medicei lectione ex Haloandrino, vel etiam, quod addere poterat, alio Codice: nam et antiquiores Editi sic interpolatum locum exhibent. Mendosum autem haud dubie quoque, nec intelligi potest, quod cum Editis omnibus et Tuscus liber praefert, *quaedam admonitoria eius facere:* et mirarer, rem adeo apertam non animaduersam acutissimo Gronouio, nisi Vir eruditissimus, quod ipse profitetur, collato Codice Florentino, hoc sibi negotii credidisset solum dari, vt salua maneret vbique Pandectes Florentini auctoritas, neque apicem facile in illo mutaret, aut patrocinio suo destitueret. Ego vero vice *eius* non dubitaui scribere *eis*, nempe Iurisperitis, quod verbum subaudiendum est e superioribus: et *eis* in veteri Basileense libro a se repertum testatur, qui neutram tamen lectionem assensu suo probat, Franc. Car. Conradi. Verum (vt ad Graecam Constitutionem reuertamur) cum et hic parum successerit Interpreti, quem passim et in notis iam correxit ὁ μακ. Gebauerus, totum locum rite, vt opinor, latine conversum apponam. *Quod autem, vt primum hocce legum corpus colligi coeptum, praecepimus, idem nunc quoque, illud confirmantes, sancimus, vt nemo eorum, qui nunc sunt, vel qui postea fuerint, audeat commentarios in eas leges scribere, nisi tantum si qui velint in Graecam linguam eas transferre: quos et volumus sola illa vti, quae κατὰ πόδα vocatur,* (id est, quae vestigiis quasi iisdem inhaereat: ac male Alciatus interpretatur *Lib. XI. Parerg. Iur. Cap. 6. iuxta pedem,* quasi metaphora ducta sit a calceo, qui accommodatissime singulos pedis articulos exprimat) *interpretatione: et si quid forte secundum paratitlorum quae vocantur vsum, vt par est, annotare voluerint: aliud autem nihil omnino circa eas facere,* (ἕτερον δὲ παντάπασιν μηδοτιοῦν περὶ αὐτὰ πράττειν, inquit: ex quo et in Latina Lege scripserim, *alias autem legum interpretationes, imo magis peruersiones. eos factitare non concedimus,* pro, *eos iactare,* vt est in Editionibus) *nec rursus dare dissidiis, et contentionibus, ac multitudini legum occasionem: quod ipsum antea accidit et in Edicti legislatione, vt, quamuis illud brevissimum fuerit constitutum, ex variorum commentariorum differentia in infinitam excresceret molem.*

§. 23. Τὸ γὰρ ἔμπροσθεν ἅπαν ἢ δεδικασμένον, ἢ συμβεβασμένον, ἀνακινεῖν οὐκ ἀνεχόμεθα] Non dubium mihi, quin dederit Iustinianus συμβεβασμένον, *transactum,* vti iam Contius legendum

dum monuit. Recte quoque ἀνακινεῖν, pro quo Brencmannus *mouere* posuit, idem Contius et Hotomanus *retractari* fuerant interpretati: et poterat verti Latinae Constitutionis vocabulo, *id vt quis resuscitet, non permittimus.* Ex hoc autem, quod statim sequitur, ἅπαντα ταῦτα ἐκ τῆ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ δῶρα τῆς τρίτης ὑπατείας ἡμῖν δεδομένα, verisimile mihi fit, et in Constitutione Tanta sic fuisse: *Post Europam enim et Asiam et tota Libya nostro imperio adiuncta est, et tanto operi legum caput impositum: haec omnia caelestia dona nostro tertio consulatui indulta.* Florentiae ibi et in vetustioribus Editis mendose scriptum, *impositium est: omnia;* in Norica autem et Baudozae Editione, *impositum, et omnia,* probante Brencmanno. Denique quod Scholio sequente ait, ταύτην δεχόμενοι διάταξιν, docet in Latino quoque exemplo scribendum cum Vulgatis et Norica, *omnes itaque iudices nostri pro sua iurisdictione easdem leges suscipiant:* quod habet in margine Taurellius, et testatur Brencmannus. *suspiciant* Florentiae ab antiqua manu in *suscipiant* esse mutatum, tueturque et *suscipiant* Gebauerus aduersus Gronouium.

Atque haec Praeterita in Graecam Iustiniani de Pandectis Epistolam, quae dudum affecta penes me habui, edere placuit hoc tempore, vt simul Commilitones humanissimos de lectionibus hocce hiberno semestri a me habendis redderem certiores. Igitur vt muneris vtriusque mihi concrediti partibus defungar, ascitus in hanc Academiam ab Augustissimo Rege, FRIDERICO MAGNO, et de Illustrissimi Administri status Regii, L. B. DE ZEDLITZ, sententia, vt cum Orientalibus et Graecas docerem literas, publice hora IX. quaternis per hebdomadam diebus, in tironum maxime gratiam, cursoria praelectione et iuncta fere difficiliorum vocum analysi interpretabor *Genesin* et *Exodum.* Priuatis autem lectionibus hora VIII. diebus ☽. ♂. ☿. ♃. ♀. *Psalmos* et *Ecclesiasten* enarrabo, et hora XI. quaternis diebus *Sophoclis Aiacem* ac *Philoctetem,* et *Plutum Aristophanis.* Ceterum si qui et in *Elementis Linguae Arabicae* ad ductum Grammaticae nouae Ill. Michaelis addiscendis opera mea vti velint, illorum quoque desideriis luberter morem geram. Scr. Regiomonti Boruss. Calendis Septembribus MDCCLXXXI.

Königsberg, Diss., 1740-99
f
VD18
ULB Halle
3
004 587 936
Sb.


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659602-p0046-2

20
986
20
1787

IO. BERN. KOEHLERI,
PHILOS. ET I. V. D. ET LL. OO. IN ACADEM. REGIOMONT.
PROF. ORDIN.

PRAETERMISSA
AD
CONSTITVTIONEM
ΔΕΔΩΚΕΝ.

ACCESSIT
INDEX LECTIONVM
PER HIEMEM MDCCLXXXI
HABENDARVM.

REGIOMONTI
APVD GOTTL. LEBR. HARTVNGIVM
MDCCLXXXI.

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres
inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659602-p0047-7